



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Prædicatores in quibus communiter peccare dicantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

460 Prædicatorum pecca.

mortale in iure interpretanda sit ne laqueus multiplicatus contra animas censeatur.

Hinc etiam sit vniuersalis regula, quod in iis quæ sunt positiui iuris, si absque contemptu ac refutatione finis ex ignorantia pura, aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo qui animum habet nullo pacto consentiendo contra præceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum: quando non est intentio piæ ac iustæ matris Ecclesiæ bonas huiusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo. Et propterea talis apud Deum non incurrit excommunicationem: absolendum tamen ad cautelam crediderim ignorantem.

Præceps in suis actibus tam interioribus quam exterioribus periculo ruinae se exponit.

Præcipitatio (qua homo ad similitudinem præcipitationis localis secundum actus interioris animi præceps ruit) peccatum est consilio contrarium. Maturitas enim consilii gradatim procedit ex memoria præteritorum, intelligentia præsentium, auscultatione aliorum, circumspectione obuiantium, &c. præceps autem omissis huiusmodi statim concludit, deliberat, facit: & propterea peccat contra prudentiam. Quando autem mortaliter, & quando venialiter, ex materia discernitur. Si enim præcipitatio huiusmodi perniciofa est, utpote contra præcepta, mortalis est, si autem præter, venialis est: ut in aliis peccatis prudentiæ oppositis contingit.

Prædicatores in quibus communiter peccare dicantur.

Prædicatorum peccata peculiariter sunt sex. Primum est sine autoritate prædicare. Oportet enim

nim

Prædicatorum pecca. 461

nim vel ex pastoralis officio vel superioris auctoritate prædicare iuxta Apostoli sententiam, & iura in c. excommunicamus. extra de hæc. Et quia hoc sub pœna excommunicationis interdicitur, ad mortale peccatum spectat. Secundum est, indigno prædicare, hoc est in peccato mortali sibi noto incontrito, iuxta illud, Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et hoc mortale videtur: quia iniuria fit prædicationi à Christo institutæ, euacuans quantum in se auctoritatem prædicatorum Christi: quasi verbo & non facto prædicatores fuerint instituti velut declamatores quidam. Vnde & in prædicto Psalmo subditur: existimasti iniquè quòd ero tui similis. s. dicens bona & non faciens bona. Et hoc intellige in eo qui sic indignè prædicat, vt prædicatione tanquam declamatione abutatur (quoniam hic directè iniuriatur officio prædicationis Christi) & in contemne. Qui autem prædicat indignus non vt prædicet indignus, sed vellet prædicare mundus, licet per accidens ex humana passione, incuria, & huiusmodi indignus prædicet: quamuis peccet (quia non se exhibet Dei talem ministrum qualis esse debet) mortale tamen peccatum non video, quia prædicare non est secundum se actus alicuius sacramenti. Et licet prædicans non furandum, prædicet contra seipsum, si furto maculatus est: nouam tamen inde damnationem non incurrit plusquam adulter iudex condemnans alterum adulterum, quem non dubito excusari à nouo peccato mortali. Tertiū est, mendacia prædicare. Et hoc constat esse peccatū mortale grauissimū, quoniam euacuat quantum in se est, vniuersam Ecclesie auctoritatem, ac Christi fidē prædicatione propagatā, siue mendaciū dicatur contra doct. nā fidei aut mortē, siue circa gesta sanctorū aut miracula.

Ff 2

laus

462 Prædicatorum peccata.

la aut prophetias, siue quodcumq; aliud quod ad docendum, instruendum, persuadendum, mouendumq; auditorē tanquā verbū Dei prædicatur: quia quicquid à prædicatore vt sic dicitur, oportet esse verū: & si est incertum, debet dici vt incertū: & sic non receditur à verò, dum ita dicitur vt scitur. Sed si dubium prædicatur vt certū, hoc est assertiuè, peccatum est mortale eadem ratione qua mendacium. Quòd si is qui prædicat, impertinentia inserat, non peccat mortaliter mentiēdo, nisi fortè ratione scandali: sicut nec iudex de impertinentibus ad iudicium mentiēns peccat mortaliter, quamuis sedens pro tribunali illa mendacia dicat. Quartum est prædicare inutilia: vt speculatiuas quæstiones, & leges ciuiles, Poëtas vulgares vel Latinos, Philosophos, gesta Romanorum, & similia. Hoc enim est abuti prædicationis officio, dicente Christo. Prædicate Euangelium: sunt enim huiusmodi prædicationes solo nomine. Et propterea si aduertenter in his exceditur, grauissimum peccatum incurritur: imò tanquam falsarii sunt apud Deum, adulterantes prædicationis officium, annunciantes in persona Christi & Ecclesiæ quæ nec Christus nec Ecclesia sibi commisit prædicanda. Quintum est, affectus mercenarius, siue pecuniæ, siue laudis humanæ, gloriæ &c. Et ad hoc si oculus dexter prædicatoris spectaret; peccatum esset manifestè: mortale quidem, si finis vltimus in huiusmodi poneretur, aut si affectus pecuniæ in effectum procederet simoniæ videndo prædicationem. Veniale autem si vanè propter gloriam aut spem quæstuariæ elemosynæ, prædicaretur: receperunt enim mercedem suam.

Si autem oculo sinistro (hoc est, non principaliter sed accessoriè) hæc expetuntur, mensuret seipsum apud se prædicator quid plus sibi displicet minui auditores

ditores, aut animarum fructum de quo est magis sollicitus, si fructuose aut si gratiose auditur, & sic cognoscet quanta rectitudine vel perversitate affectus tenetur: ac per hoc quantum peccat: quia quanto magis sinister oculus ipsum sollicitat quam dexter, tanto magis sibi met homo mentitur, tribuens sinistro oculo illud in quo dextri sollicitudo superatur.

Ad hoc autem caput spectant quæcunque gestulationes, cantilenæ, & huiusmodi, quæ fiunt ut placeant hominibus. Sextum est, immiscere prædicationi facetas fabellas delectandi gratia. Quod beatus Ambrosius reprehendit: quia non debent in tam graui actione de rebus tam arduis qualia sunt diuina, verba immisceri iocosa & ridicula. Communiter autem est hoc veniale: cauendum tamen ob reuerentiam diuini verbi.

Prælatorum peculiaria peccata vide in verbo, Episcopus.

Præscriptio quandoque licita quandoque illicita est.

Præscriptio legitima. (hoc est cum bona fide possessio tanto tempore ut iura canonica approbat &c.) ius parit in foro conscientiae: ita ut sine peccato post retineatur etiam si postea sciatur fuisse alienum: quia auctoritate legum rationabilium (utpote pro communi bono sancitarum) factus est dominus præscriptarum legitimè rerum.

Opus ultra suam facultatem aggrediens tanquam præsumptuosus, maximum incurrit vitium.

Præsumptio (qua homo actu interiore vel exterioriore aggreditur opus excedens suam facultatem quasi non excedat, sed sit sibi commensuratum) peccatum

Et 3 tum